

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Ordinis Philosophorvm In Academia Vitembergensi H.T.  
Decanvs Et Constitvtvs Avctoritate Imperali Comes  
Palatinvs Sam. Christianvs Hollmannvs ...**

**Hollmann, Samuel Christian**

**Vitebergae, [1730?]**

**VD18 13292625**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



1. be  
bie  
2/

131 B; 12

131 B 12

32  
[51]

ORDINIS PHILOSOPHORVM  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
H. T. DECANVS  
ET CONSTITVTVS AVCTORITATE IMPERIALI  
COMES PALATINVS  
**SAM. CHRISTIANVS**  
**HOLLMANNVS**  
PHILOSOPHIAE PROFESSOR PUBLICVS EXTR. ET ORD.  
EIVSDEM ASSESSOR  
PHILOSOPHIAE ARTISQVE POETICA  
CANDIDATIS  
SVMMOS IN PHILOSOPHIA ARTEQVE POETICA  
HONORES  
IPSORVM IN REM LITTERARIAM MERITIS  
AD XVII. OCTOBRIS  
ANNO AVG. CONFESSIO NIS SECVLARI  
SECUND O  
TRIBVENDOS  
PER QVAM HVMANISSIME ET DECENTER  
OFFERT.

ORDINIS PHILOSOPHORUM  
ACADEMIA VITERBERGENSI  
DECANAS  
COMES PATAVINUS  
SAM. CHRISTIANVS  
HOLMANNVS  
CANDIDATIS  
SUMMOS IN PHILOSOPHIA ARTECAE POETICA  
HONORES  
ANNIS XCV CONSENSIIS SECULARI  
AECVNO  
REGLAM IN MAMBRINIS ET DECENITIA  
OTTI



**D**um altero hoc Augustanae confessionis anno jubilaeo, ad capessendam in *philosophia & arte poetica* laurum, maxime reuerendi, clarissimique, horum honorum *candidati*, publica quadam scriptione, inuitandi mihi sunt, summae non solum illius in mentem mihi venit recordari felicitatis, qua, per Dei gratiam, post *salutaris* illius, per *LUTHERVM* suscep*tac*e, *reformationis* initium, Christi eccl<sup>esi</sup>a, qua verbi diuini, puriorisque doctrinae, cognitionem, frui coepit, quippe cuius nemo, nisi diuinorum beneficiorum plane immemor, mortaliumque omnium ingratissimus, obliuisci potest; verum, quoniam in *foro philosophico* hic inprimis versamur, ad *philosophicos* etiam solum *bonores*, anno hoc iubilaeo distribuendos, mea inprimis pertinet oratio, illius etiam potissimum felicitatis memoria animum subit, quae ex salutari illa religionis, diuinitus nobis traditae, reformatione, in *ipsam* quoque *philosophiam* redundare, eandemque mirifice ornare & amplificare coepit. Vti enim, quae Dei gratia est, nullus fere inter nos status deprehenditur, qui non, post commune illud, quo nos omnes laetamur, beneficium, peculiaria quoque, atque ad se inprimis pertinentia, ex diuina illa purioris doctrinae restitutione, commoda percipiat, id quod facile, per omnes eundo status, demonstrari, atque ad liquidum deduci, potest; ita ipsae quoque litterae elegantiores, atque inter has inprimis *philosophia*, *strictius ita dicta*, multa haber, quae huic ipsi reformationi doctrinae coelestis iure quodam suo accepta refert, atque pro singularibus, sibique propriis, eiusdem fructibus merito agnoscit. Amplissimus se nobis hic aperiret differendi campus, si de omnibus illis, quae ad *fauultatem*, vti vocant, *philosophicam*, prout reliquis ita dictis facul-

A 2 tati-

tatibus contradistinguitur, referri solent, eruditionis vel partibus, vel adminiculis, hic vellemus exponere, pluribusque ostendere, quantum illis, per diuinam illam reformationem, accessionis factum sit, atque quantum illac, de pristino suo squalore, quo obrutae fere iacebant, deposuerint. Bone enim Deus, quanta hic vel circa solas litteras, quas humaniores vocant, linguarumque sacrarum studium, rerum facta est commutatio? Quem enim fugit, quam plane neglecta haec, atque deserta fere, ante reformationem iacerint, vt vel profunda vbiique harum omnium regnaret ignorantia, vel, sicubi adhuc essent, qui illis recolendis, atque a situ & squalore nitori & dignirati suae pristinae restituendis, aliquam nauarent operam, cuiusmodi, paulo ante reformationem, diuina omnino prouidentia excitatos esse, inter omnes constat, nullum certe ignauorum, atque ventris sui curae solum addictorum, monachorum applausum meruerint, ita, vt multis ne peruvlgatae quidem, atque ad subeundas functiones scitu necessariae, formulae latinae satis essent cognitae, quae graeca vero erant, ne legi quidem possent, multisque pro ignotorum peregrinorumque pagorum nominibus non raro haberentur (a). Adeo misera, pudendaque, ante reformationem erat rei litterariae facies! At enim vero quam cito ad pristinum dignitatis gradum

ite-

(a) Prostant vbiuis stupenda illius, quae ante reformationem inter cucullatos in primis fratres regnabat, barbarici documenta, adeo luculenta, vt vix opus sit, speciminis loco quaedam adducere. Quis crederet, ne baptismi quidem formulam rite pronunciare monachos latino idiomate potuisse, ita vt in nomine patria, filia & spiritua sancta baptisarint? vid. pars III. decretor. de consecr. dist. IV. can. XLVIII. & AVENTINI annal. Boi. lib. 3. p. 397. vnde etiam disting. XXXIX. cap. sedulo, cautum est: non irridebunt scholastici, (quippe qui paulo adhuc doctiores erant,) si aliquos antistites ecclesiae animaduertirint cum barbarisnis & soloecismis Deum inuocare, vel eadem verba, quae pronunciant, non intelligere, perturbareque distinguere. Quid de græcis vero, ebraeisque, sperandum sit literis, vbi tam profunda latinarum ignorantis locum habuit, per se patet. Notum est inuulgus illud ACCVRSSI: græca sunt, legi non possunt. Notatu vero dignum, quod CLAVD. ESPENCAEVS scribit in 1. ad Tim. ep. cap. 3. his temporibus in latinis auribus græce nosse, suspectum fuisse, ebraice, prope baereticum. confer. de horum temporum barbarie VOSSIUS, de vitis latini sermonis, GOCKLENIUS, in addit. lexi. pbilos. aliique plures.

iterum euectae sunt elegantiores litterae, postquam barbariei illius pertaesī viri probi & eruditī, agmine quasi factō, in exco-lenda politiora studia, linguarumque sacrarum cognitionem, omnibus viribus incubuerunt, siveque maxime laudabile posteris, vestigia ipsorum postea legentibus, exemplum praecierunt (b)?

Verum haec aliis iam expedienda relinquimus, atque illos modo paucis hic commemorabimus *reformationis fructus*, qui in *ipsam philosophiam*, stricte sic dictam, disciplinasque philosophicas, proprie ita vocatas, redundarunt. Nemo vero id a nobis hic expectet, vt ad singulas transeuntes philosophiae, hinc theoreticæ, hinc practicæ, partes sigillatim commemoremus, quid singulis per reformationem accesserit emendationis & emolumenti; hoc enim & infiniti fere foret laboris, si ad specialiora hic esset descendendum, & praesentis, quae huic instituto destinata est, id non caperet chartae angustia. Circa generaliora ergo hic solum haerebimus; satis tamen multa, obseruat, gratoque in primis erga beatos reformatores animo, digna, hic offendimus.

Prolixum vero hic foret, commemorare prius velle, quam deprauatus miserrimusque philosophiae ante reformationem fuerit status. Cui vel unicum saltem *scholasticorum*, penes quos omnis in philosophia, circa ista tempora, erat principatus, atque inter illos vel ipsorum *cherubicorum*, *illustrissimorum*, *subtilium*, *resolutissimorum*, *acutorum*, *seraphicorum*, *fundatissimorum*, aliorumque id genus, doctorum, vel visum, vel lectum, scriptum est, illi certe non erit opus, conquisitis multis rationibus, miseriam illorum temporum persuadere, quibus hoc philosophandi genus in aliquo inter eruditos adhuc erat pretio, satisque is ipse deploratissimum illorum temporum statum nobiscum agnoscet. Cui vero cunque eiusmodi quid nunquam nec visum, nec lectum est, illi vero ipsi quoque nunquam, vel omni adhibita industria, ita delineari *avrophia* illa potest, vti ipsa in illustrissimorum illorum doctorum scriptis ubiuis est obvia. Sola enim hic *avrophia* satis elo-

(b) Id quod in primis factum est REVCHLINI, ERASMI & MELANCHTHONIS, opera, quorum insignia plane hanc in rem sunt merita, vt alias taceamus: vid. hic b. D. BVDDEVS IJug. lib. 1. cap. 4. pag. 121. seq.

eloquens inepiarum & nugarum istarum magistrā est, neque quantum in scholasticorum philosophia monstrorum vbius regnet, vel edocere quisquam, vel satis distinēte sibi repreäsentare, poterit, nisi illorum *quodlibeta*, *summulas*, *commentaria*, *questiones super questiones*, *formalitates*, *specula*, aut huiusmodi quid aliud, ipse aliquando inspicerit. Fidem enim fere superat potuisse homines, cetera non inepros, atque aliquo iudicij acutimine omnino praeditos, adeo fere cum ratione insanire, ut circa inepissimas quaestiones, tanquam maximi momenti res, haerre, de iisque in utramque partem, tanquam pro aris & sociis, pugnare, atque omnem ingenii vim eo conuertere, omnesque eo neruos intendere, potuerint. Pueros, videberis tibi, conspicere, auiculas sibi ex luto formare, aut aranearum telas summo studio pertexere, atque in eo tamen ipso sibi mirifice complacere, quando, viros graues, & quodammodo eruditos, tanta contentione, per omne vitae tempus, res nihil tractare, in iisque tamen singularem aliquam eruditioris & doctrinae laudem venari, obseruabis. Horrida certe & monstroſa sunt ALEXANDRI AB ALES, PETRI DE TARENTASIA, BONAVENTVRAE, VDALRICI DE ARGENTINA, GVIELMI DVANTES, AVGUSTINI TRIVMPHI, RICHARDI DE MEDIA VILLA, IO. DVNS SCOTI, FRANCISCI DE MAYRONIS, DVRANDI A. S. PORCIANO, IO. BASSOLIS, GVIELMI OCCAMI, ADAMI GODDAMI, ut alios multos, in primis sequiores, raccamus, nomina; sed magis adhuc horrida atque incompta erat illorum philosophia (c). Quid multis? Res est, hodie apud omnes, qui saniorem philosophiam & callent, & aliquo in pretio habent, extra omnem controuersiam posita, deploratissimum fuisse philosophiae inter scholasticos, ante reformationem, statum (d).

Et

(c) Opera & scripta horum omnium prolixus recensent GVIL. CAVE in *biflor. litter script. eccl. sec. scholast.* & CASIMIRVS OVDINVS de *scriptor. & scriptis ecclesiast.*

(d) Multa hanc in rem afferri, plurimisque haec illustrari exemplis, possent, nisi nemo fere ea de re hodie dubitaret amplius. Vnius tamen saltet, alteriusue, quoniam exempla prolixiorum tractationem requirunt, auctoritate dicta confirmabimus, scholasticorumque philosophiam, & qua rem, & qua methodum, plane inanem inepiamque fuisse, commonstrarimus. Quid phi-

lofo-

Et hi tamen homines erant, qui sibi soli videbantur sapere,  
quique alios omnes, quos suarum *entitatum*, *baecceitatum*, *persei-*  
*tatum*,

Iosophia vero sua complexi scholastici fuerint, nemo mihi videtur ne-  
uosius exponere, quam vel ERASMVS ipse *antib. lib. I. vbi: cum nil,*  
inquit, *nisi meram barbariem, euouerint, audite quaeſo*, quam *splendi-*  
*dis titulis suas nugas adornent &c.* quorum postquam non paucos  
commemorauit, perstrinxitque, ita postea pergit: *ineptius etiam qui-*  
*dam mammetrettum, (a mamma quasi tractum, scilicet, appellat) velut*  
*baustum lactis gallinacei pollicens; sunt, qui summas, & sun. marum*  
*summas, appellant, quasi lectori non sit aliud scriptor requirendus, ubi*  
*tules sit natus lacunas, &c. vel ipse etiam TRIBBECHOIVS de*  
*doctoribus scholasticis & corrupta per eos divinarum humanarumque*  
*rerum scientia, qui inter alia cap. 2. §. 1. p. 44. edit. cum praefat.*  
*HEVMANNI, ita de eadem differit: Ex nos quoque in scholastico-*  
*rum scriptis versantes tot errorum monstra passim miramur: quo minus*  
*autem suis ista formis distinguimus, obstat deformitas & circumſuſa*  
*undique multitudo. Mibi penitus aliquantum insipienti, triplex hacc*  
*errorum lerna viſa est &c. vbi, ad terminorum novorum & methodi do-*  
*cendi absurditatem, tum & rationis & revelationis confusione, reuocari*  
*omnia posse, obſeruat, & post haec ita pergit: quod ad notionum no-*  
*uarum absurditatem attinet, tam secundus illarum in agro scholastico-*  
*rum prouentus, quam felix Anticyris elaboſi calentra. Haereditate quip-*  
*pe non contenti eorum dictiōnum, quas a primis philolēphis accepérant,*  
*nouas insituere diuīſiones ac nomina a nominibus, res a rebus, a*  
*rebus iterum nomina, & illa omnia ab intellectu, & intellectum de-*  
*nique ipsum a ſe diffiſcantes, verborum quidem auxere numeram, ipsa-*  
*rūm vero rerum ponderi nihil quicquam addidere. Paginae, qua circum-*  
*ſcribimus, anguſtia non patitur, vt plura hanc in rem afferamus.*  
Notatu tawen adhuc digna sunt, quae apud eundem TRIBBE-  
CHOIVM leguntur loc. cit. p. 50. seq. inprimis vero p. 53. vbi, poſt-  
quam verba quaedam ex LUDOVICO VIVE, de peruersa scho-  
lasticorum disputandi metodo, adduxerat, haec adhuc ſubiicit:  
*Quam vere autem hacc Vives differuerit, ex ipſa ſcholasticorum methodo*  
*fatis ſuperque eluet. Ibi enim tot ineptissimae quaefiōneſ, quaefiōneſ*  
*declarationes, tum obiectiones, obiectionum confirmationes: hinc re-*  
*ſponsionum puncta prima, ſecunda, tertia, punctorum diſtinctions,*  
*tum diſtiones, diſtiones declarationes, declarationum probationes, pro-*  
*bationum improbationes, improbationum rationes, rationum ſolutiones,*  
*& iſerum declarationum, exceptionum, diſtinctionum, plauſtra occur-*  
*runt, ut animus in iis, velut in profunda caliginis abyſſo, obverret, &c.*  
vid. & p. 54. 56. 149. ſq. alibique paſſim. Addantur, quae de  
philosophiae ſcholasticae ineptiis BAELIVS habet in *diſtioni. hiſtor. crit.*  
*voce ſcholastiques, & legantur, quos excitat celeb. PFAFFIVS in*  
*Introd. in hiſt. theol. litter. part. I. p. 192. & 198. & b. BVDDEVS*  
*Iagog. lib. prior. cap. 4. p. 231. fac. a.*

satum, identitatum, individualitatum, aliorumque monstrorum  
vocabulorum, amore non capi & delectari intelligebant, non al-  
to solum superciliosum, tanquam rudes, omnisque subtilioris & trans-  
scendentalis doctrinae expertes, contemnebant, sed omni etiam  
data occasione exagirabant mirifice, id quod ipsa illorum inscitia,  
doctaque ignorantia omni, longe adhuc erat intolerabilius. Fa-  
cilius enim aliorum spirituum vel merentur commiseratio-  
nem, vel indignationem iustum effugunt, qui res nihil, nullius-  
que plane momenti, non aliter, ac Sisyphi quoddam saxum, per  
omne vitae tempus misere voluunt, reuoluuntque, in eoque tam-  
en sibi mirifice adhuc complacent; si alios quoque suo patian-  
tur abundare sensu, atque ab omni, vti contemptu, sic & agita-  
tione scurrili, se abstinent. Quod ipsum tamen non a scholasti-  
corum solum ingenio plane alienum erat; sed minas quoque, in-  
festations, vim, grauissimasque saepius persecutio-nes, iidem ad-  
debant, vbi a suis aliquando nugis nonnullos dissentire obserua-  
bant (e).

Mise-

(e) Huius quidem rei et si non pauca exempla prostant, instituti ta-  
men nostri ratio non patitur, ut multa afferamus. Memorabile  
prae aliis LAVREN TII VALLAE exemplum est, cuius nar-  
rationem ipse in scripto, cui titulum *calumniae theologicae* fecit, de-  
dit. Refert enim ibidem, quod propterea, quod monachum quen-  
dam reprehenderit, qui symbolum apostolicum, in certa quaedam  
frusta distributum, ad apostolos singulos, tanquam illorum auto-  
res, retulerit, in inquisitionis iudicium vocatus, non hac de re  
solum, aliisque eiusmodi, sed de eo etiam, a Dominicano mona-  
cho, inquisitore, interrogatus fuerit, *quid de decem praedicamentis*  
*fentiret?* Ad quod cum ille respondisset: *etiamne decem praedicamen-  
ta ad fidem pertinent, tanquam decem praecepta legis?* regeffisse in-  
quisitorem refert: *quidni, annon ad fidem ista pertineant?* addita  
ratione, quod his, & eiusmodi aliis, dialecticorum dogmatibus ma-  
xime in theologia res explicari ac resoluti soleant. Quo auditu, in  
praesentissimo se periculo versari, probe VALLA sentiens, pru-  
dentissimeque, vti in tanta hominum stupiditate philosophum de-  
cer, tempori inseruiens, lepide omnino responderet: *age, et si ista ma-  
ter ecclesia ignorat, tamen idem de ipsis credo, quod mater ecclesia.* Ipsa  
Vallae paulo prolixiora verba vid. apud TRIBBECHOVIVM loc.  
cit. cap. 3. p. 114. sq. Ita decem modo Aristotelis praedicamenta  
in dubium vocare aequa, ac de fidei dogmatibus ambigere, peri-  
culosum istis temporibus erat, quam quidem infelicitatem omnes  
hodie agnoscimus. Plerumque tamen in peruidendis maiorum,  
quam nostrae aetatis, vitiis oculatores sumus.

Misero vero huic rerum in philosophia statui iam aliquis per reformationem, a B. nostro Luthero coeptam, statuebatur modus, siquidem nil quicquam subtiliorum horum doctorum ille terrebatur autoritatibus, atque, quoniam in theologia omnia ad verbi diuini normam reuocare docebat, eo ipso simul multis subtilitatibus, nugisque scholasticorum philosophicis, quas haec tenus temere, atque praepostere admodum, veritati coelesti admiscuerant, incidebat neruos, multumque illarum apud alios quoque valorem imminuebat, & autoritatem (f). Etsi vero sic opera & auctoritate b. nostri Lutheri mirum, quantum scholasticorum quisquiliis decesserit; non omnis tamen post reformationem statim sequebatur, quae ab adeo bonis felicibusque auspiciis exspectari poterat, in philosophia emendatio. Non enim, vti incipiunt, ita & statim errores desinunt, neque aequa facile, atque se quidem insinuant, euelli iterum hominum animis possunt, praediicia. Per multa regnum Aristotelico-scholasticum inualuerat, viresque & incrementa ceperat, secula; plurium ergo quoque annorum decursu opus erat, quo sensim paulatimque iterum decresceret. Illud enim in primis adhuc exoptatae diu, tandemque exspectandae, philosophiae emendationi obstabat, quod plerique fere omnes, quos Lutheri adhuc mouebat vel doctrina, vel auctoritas, ut *scholasticorum* castra desererent, magisque sobrie quodammodo philosophari inciperent, eo tamen adhuc irrititi implicitaque erant praediicio, quod unica, eaque genuina, ad veram philosophiam peruenienda via esset, si, repudiatis omnibus scholasticorum assumentis, solum ARISTOTELEM ducem sibi eligerent, ad eiusque scripta, tanquam dulcissimos, limpidissimosque, omnis verae philosophiae fontes, se reciperent.

B

Omni

(f) Agnoscere hoc, immo & fateri publice, inter ipsos pontificios coactus est ALPHONSVS A CASTRO in libro suo *aduersus haereses* an. 1443. edito, lib. 1. cap. 4. quando ibidem: *nugas, inquit, vendiderunt doctores papatus a trecentis, usque ad reformationem Lutheri, annis, a qua coeptum transferri ad meliora studia: quae verba, vti de omni eruditione in genere dicta esse videntur, sic praeципue de philosophia quoque esse intelligenda, ex haec tenus dictis satis constat. Quid autem luculentius pro Lutheri, eiusque reformationis, in philosophiam meritis, quam hoc, ab hoste profectum, testimonium, dici, aut afferri in medium, potest?*

Omni enim tempore plerique mortalium alienis, quam suis, maluerunt videre oculis, tutiusque sibi incedere visi sunt, si, vultu obuelato, duci sese paterentur ab aliis, quam ipsi sibi viam eligerent. Non id, enim, putabant esse philosophiam, quicquid ipse sanus sobriusque propriac rationis usus nobis dictatur, sed quicquid iam ab aliquo traditum expositumque legitur philosophorum. Vnde, quoniam, duce quodam se in philosophiae studio necessario indigere, arbitrabantur, scholasticorum vero nugas desperire iam aliquo modo desierant; non melius se sibi consulere posse censebant, quam si ipsum, tantopere a scholasticis ipsis deamatum, tantaque apud illos autoritate pollentem, Aristotelem consulenter, eiusdemque scripta unicam meditationum suarum philosophicarum normam constituerent (g). Ex hoc enim praeiudicio factum est, ut ipse certe PHILIPPVS MELANCHTHON, vir excellentissimi alias ingenii, felicioribusque, quam quae ex Aristotele haurire poterat, inueniendis non impar, se nec sine Aristotele, nec, nisi ex Aristotele, philosophari posse persuasus, varia ex Aristotelis scriptis, in omnibus fere disciplinis philosophicis, conficeret compendia, eademque tanquam totius philosophiae summam, sive philosophiam in nucleo, aliis commendaret (h). Quod eius exemplum dum alii, eius in primis autoritate moti, post reformationem secuti sunt, Aristoteles, veluti unicum philosophiae cognoscendi principium, in scholis protestantium regnare, legesque illis, modumque philosophandi, per complura annorum lustra, praescribere coepit. Quisquis enim ad nouum professoris philosophiae admouebatur munus, is non melius spartam sibi concreditam se ornare posse censebat, quam si nouum aliquod ex ARISTOTELE encibiridion, vel compendium, conficeret, in coequo nihil quidem qua rem ipsam, (nimis enim hoc fuisset temerarium, si quis supra Aristotelem voluisset sapere,) pauca tamen qua dispositionem operis, ordinemque doctrinarum, immutaret. Vnde tot, in omnibus fere disciplinis, confecta

(g) Confer. quae ea de re diximus in *dissert. de reform. philos. prior.* §. in primis VI.

(h) Habemus enim eius *erotemata dialectica*, quae prodierunt Witteb. 1524. *elementa doctrinae ethicae*, 1537. ib. ed. & eius *initia doctrinae physicae* ibid. 1549., primum edita, saepiusque postmodum recusa.

fecta sunt ex Aristotelis scriptis philosophicis compendia, et dispendia, ut mole illarum discentes pene obruerentur.

Aliter certe res omnis cessisset dudum, si penes solum stetisset LUTHERVM. Is enim vti maximo quisquiliarum & inceptiarum scholasticarum ducebatur contemtu, sic nec ipsum magni faciebat Aristotelem, eiusque philosophiam, id quod passim in operibus eius obseruare licet (i). Ex eis ergo si philosophandum fuisset consilio, dudum caput erigere coepisset philosophia sobria & celestica. Quoniam veritas tamen coelestis magis Lutheru curae erat, quam philosophia, satisque in eadem, quod a ffordibus, ipsi adhaerentibus, liberaret, pristinaque suae puritati restitueret, inueniebar; facile patiebatur, ut, qui philosophiae aliquam in se emendationem suscepserant, suo abundant sensu, Aristotelemque sibi in eadem eligerent vel dueem, vel comitem, eiusque philosophiam pro cogitationum suarum norma haberent.

Etsi vero hoc modo, primis post reformationem annis, ob commune hoc plurium praejudicium, non magna sequetur philosophiae in melius commutatio, quin multi etiam ex nostris hinc theologis, hinc philosophis, quo eo melius cum pontificis, de rebus ad religionem pertinentibus, sententias conferre, veritatemque coelestem aduersos illos defendere, possent, conceptibus & notionibus scholasticorum philosophi-

(i) Notatu in primis dignum est, quod LUTHERVS olim Anno 1516. die 8. Febr. ad Ioannem Langum de Aristotele perscriptit, ubi inter alia memorabilia haec quoque verba legimus: Nihil ita ardet animus, quam histriorem illum, qui tam vere graeca larua ecclesiam latit, multis reuelare, ignominianque eius cunctis ostendere, si ocium esset. Habeo in manibus commentarios in primum physicorum, quibus fabulam Aristaci denso agere statui in meum istum Protheam, illudorem vaserrimum ingeniorum, ita ut nisi caro fuisset Aristoteles, vere diabolum illum fuisse, non puderet afferere. Pergit vero adhuc bestus vir pars crucis meae vel maxima est, quid videre cogor, fratrum otima ingentia, bonis studiis nata, in istis scenis vitam agere, & operam perdere. Ex quibus verbis, quis Lutheri in Aristotelem affectos fuerit, satis elucet. vid. haec, & eiusmodi alia, hanc in rem, afferentem IO HERM. ab ELSWICH. de var. Aristot. in schol. protest. fort. §. 9. p. 19. sq. add. CHRIST. THOMASII biss. der Weisheit und Thorheit part. I. p. 8. sq.

etis iterum assuescere, illorumque loquendi differendique formulas sibi familiares reddere, coeperint; illustre tamen sua *sentientia*, atque a romani pontificis autoritate discedendi, *libertate exemplum* aliis *praeceps* LUTHERVS, quod, si in rebus ad philosophiam pertinentibus, imitari, atque vti ipse, *in capitibus religionis, romani pontificis*, sic, *in argumentis mere philosophicis, Aristotelis*, autoritatem deserere, non essent veriti ipsius successores & posteri, dudum aliam philosophia omnis induisset, aut induere saltem potuisset, faciem. Animum enim erectum, veritatisque studiosum, nullisque occupatum vel antiquitatis, vel nouitatis, praejudiciis, & terriculamentis, vbius Megalander noster prodit, omniaque *boni eclecticici*, suo solius exemplo, *requifita* docet. Vere etiam *eclecticum*, quod multis adeo exosum nomen est, nobis fistis *theologum*, qui nihil auctoritatibus humanis, temporumque antiquitate & praescriptionibus, sed omnia rationibus, siue humanis, siue diuinitus in scriptura sacra traditis, metitur & ponderat. Fieri ergo aliter non potuit, quam ut inter illos, qui repurgata a Lutheru sacra, vel ex toto, vel ex parte saltem, sequebantur, viri quidam eruditi tandem surgerent, qui illustris adeo, hinc doctoris, hinc ducis, exemplo excitati, eadem in abiiciendo Aristotelis, qua Lutherus olim in excutiendo pontificis romani iugo usus erat, libertate vterentur, adeoque, *quicquid postea emendationis* in philosophia subsecutum est, id omne, si ad primam originem referri debet, merito beato nostro Lutheru, ab eoque suscepitae reformationi, acceptum ferimus.

Etsi enim inter *ipso* quoque *romano-catholicos* non defuerunt, qui naeuos philosophiae Aristotelicae probe perspexerunt, quo, post multos alias, qui vel ante, vel circa ipsa reformationis tempora, vixerunt, ex superiori in primis seculo PETRVS GASSENDVS & RENATVS CARTESIVS referendi veniunt, quibus suas etiam propterea laudes, inter philosophiae reformatores, non denegauimus (k): vel ex eo tamen ipso, circa ipsum Cartesium, merita Megalandri nostri in philosophiam, fatis clare elucent, quod inter omnes constar, maximum, *CARTESIVM, romano-*

no-ec-

(i) in diff. supra cit. §. VII.

*no - catholicum*, inter *protestantes*, quos vocant, meruisse applau-  
sum, longeque plures inter hos, quam apud ipsos romano-catho-  
licos, consecutum esse sectatores. In proposito namque est, nul-  
lam huius rei rationem reddi posse aliam, quam quod inter pro-  
testantes, Lutheri in primis opera a romani pontificis seruitute,  
atque infernalis fere inquisitionis metu, iamiam liberatos, ma-  
ior, quam inter romano-catholicos, sentiendi obtinebar libertas,  
minorique adeo suo periculo illi, quam hi, placitis Cartesianis lo-  
cum relinquere poterant. Et quae, quae, alia ratio est, quod  
longe tardius, quam inter protestantes, qualiscunque philoso-  
phandi libertas caput in eiusmodi *regionibus* extollere coepit,  
quae in *pontificis romani* castris adhuc militant, admodumque, ho-  
dienum, tenuis, angustissimisque limitibus circumscripta, sit, in-  
primis, vbi romanae inquisitionis merus philosophos a veritatis  
vel inquisitione, vel confessione saltem, absterret, quam quod  
non ea, qua nos quidem hodie, Lutheri nostri ministerio, frui-  
mur, libertate ratione sua videnti gaudent? Probe enim, qui  
summae rerum in ecclesia romano-catholica praesunt, videntur  
intelligere, fore, ut tantum *supersticio*, indeque oriunda *coeca*  
*obedientia*, & *fides carbonaria*, & quid non? inter suae ecclesiae pla-  
citis addictos, decrescant, quanto melius homines *ratione* sua *vti* di-  
dicent. Quod quum per *philosophiam* vnicet fiat, illorum autem  
plus intersit, ut stupidi, qui cum illis faciunt, maneant, quam  
ratione sua recte *vti* discant; philosophiae quoque incrementa, &  
culturam paullo liberiorem, quibus cunque possunt modis, impe-  
diunt.

Quis ergo non, maxima b. nostri Lutheri, eiusque saluta-  
ris reformationis, in philosophiam, vel hoc solo nomine, merita  
esse, agnosceret? Contumulata est, eius in primis autoritate &  
opera, inter nos philosophia scholastica. Expulsi illius doctores,  
cum nugis suis, ab ipso sunt ex sanctuario, diuinaque veritatis  
adyto, eoque ipso quoque in philosophia minoris fieri illorum ar-  
gutiae coeperunt, quum, tantum illas theologiae non prodesse,  
quam olim quidem erat creditum, manifestum fieret. Effectum  
tandem eius etiam autoritate, saluberrimaeque reformationis  
opere, est, ut ipsius quoque Aristotelis sensim paulatimque im-  
minue-

minueretur autoritas, ipseque tandem de throno, quem iniuste  
haetenus occupauerat, feliciter exturbaretur. Ipsi ergo reformatio-  
ni b. Lutheri, si ad primos natales omnia referenda sunt, in-  
primis iam debetur, quod non magis nos hodie, quid scholasti-  
ci olim, quam, quid Aristoteles, de hac illauere senserint, in phi-  
losophia amplius sollicitos habeat, sed solum sanae rationis sequam-  
ur dictamen. Non curamus enim amplius *illuminatissimos*  
*subtilissimosque* illos doctores, parumque, aut nihil potius, illo-  
rum spinas ad nos amplius pertinere censemus. Neque vero  
solum FRANCISCI SVAREZII, RODERICI DE ARRIAGA,  
PETRI A S. JOSEPH, IO. LALEMANDET, SEBAST. IZQVI-  
ERDAE, DIDACI RVYZ DE MONTOYA, IO. CARAMVEL A  
LOBKOWITZ, PETRI FONSECAE, GABRIEL. VASQUEZII,  
DOMINICI BARNEZ, LEONHARDI LESSII, FRANC. BONAE  
SPEI, AVGUST. GIBBON. DE BVRGO, DIDACI ALVAREZ,  
LVDOV. MOLINAE, ANTON. BERNALDI DE QVIROS,  
aliorumque, qui post reformationem demum magnam inter suos  
famam consecuti sunt; sed ipsorum etiam principum scholasti-  
corum, PETRI ABELARDI, PETRI LOMBARDI, THOMAE  
AQVINATIS, ALBERTI M. aliorumque, quae temporum no-  
strorum iam est felicitas, rara hodie sunt, multisque ignota,  
nomina, ipsorumque opera vel institutorum usibus inseruiunt,  
vel cum tincis & blattis passim in bibliothecis pugnant, illarum-  
que iam, subtilitatibus suis, ingenia exercent.

Agnoscite hanc temporum nostrorum, quam diuinae Lu-  
theri reformationi debemus, mecum felicitatem, *Vos, clarissimi*  
*philosophiae, artisque poeticae, Candidati!* atque utram ea, cui  
restituti iam sumus, philosophandi libertate. Neque enim il-  
lam temporibus nostris inuri patiamur maculam, ut inter nos  
sint, qui in media licet luce, in tanta tamen rerum philosophi-  
carum adhuc versentur ignorantia, tantisque tenebris, quales  
scholasticorum solum relinquendae aequo erant. Etsi enim,  
quae seculi nostri residua adhuc labes est, inter multos nostra-  
rium, qui sacris in primis operantur, non amplior, saniorque,  
obtinet rerum philosophicarum cognitio, quam ipsis illis barba-  
ris

ris scholasticorum seculis locum habere potuisset, ita, ut, si ex  
illorum iudicandum exemplis esset, parum certe honorifice de  
fructibus reformationis in philosophia sentiendum nobis fo-  
ret; non ipsius tamen philosophiae, aut hodierni eiusdem,  
post, immo per, reformationem, status, sed illorum solum, cul-  
pa est, qui non magis illam, quam si scholasticorum aeuo adhuc  
vivuerent, curant. Vos vero, qui ob paeclaram vestram, in  
philosophiae studiis adhibitam, industriam, iam iure quodam ve-  
stro promerita exspectatis praemia, longe alia, vel vestro ipso-  
rummet exemplo, doceris, dictamque illam temporum nostro-  
rum felicitatem satis superque comprobatis. Vos ergo quoque  
honores, *pbilosophiae, artisque poeticae*, Candidatis, circa ipsa so-  
*lennia iubilaea* iam destinati, ad diem xviij octobris manent, quo  
demum tempore *solennis & iubilaea honorum pphilosophorum di-*  
*rribitio*, auctoritate publica a me suscipienda, atque *solennitates iu-*  
*bilaeae pphilosophicae magisteriales & seculares*, more maiorum,  
etiam ante centum annos comprobato, instituenda demumerunt.  
De quo vti mihi quidem mirifice gratulor, quod mihi potissimum  
liceat, *solennia haec pphilosophica secularia & iubila ea peragere*, atque  
magno cum gaudio celebrare, *promotionemque philosphicam magi-*  
*sterialium, secularem pariter ac iubilaeam, suscipere*; ita *Vestrum* iam erit,  
*Candidati dignissimi*, vt operam detis, quo, quantum ex reformatio-  
ne b. Lutheri philosophia emolumenti perceperit, vel sola frequen-  
tia vestra dilucide confert. P. P. *Vitembergae Festo visitationis Ma-*  
*rine, Anno Augustanae Confessionis seculari*  
*secundo.*

---

*VITEBERGAE*  
EX OFFICINA EICHSFELDIANA.



131.B.12

108

